

1487

Post hæc paucis interjectis diebus, cum Germani infolentius atque laxius vagarentur, Venetique eos adoriri ex insidiis statuissent, re ab hostibus per exploratores cognita, ipsi in hostium insidias inciderunt: ita excepti a pluribus pauciores, conglobati virtute atque armis se tuebantur, fortiterque præliabantur: ex quibus Robertus modo voce imperatoris curam, modo manu militis operam præstebat. verum crescente hostium multitudine circumseptus jamjamque tenebatur, cum Antonius filius id conspicatus (non enim longe aberat) in confertissimam hostium aciem se injecit, fortissimeque pugnans, aciemque submovens, patri se recipiendi facultatem præbuit: ipse in hostium potestatem venit: reliqui fugati, paucis captis atque interfectis, se in castra receperunt. Neque multo post Camers in febriculam incidit, eoque Veronam delato, rerum & totius belli administratio in Robertum incubuit. Germani autem cum inopia commeatus adducti, qui segniter subministrabatur, tum stipendii fide non servata, indignabundi palam ad seditionem incitabantur: cuius rei periculum eorum præfeti veriti, inducias ab imperatore Veneto petierunt. Sæpius re jactata, non impetratis induciis, nocte intempesta Rovereti arcem incendunt, & prima luce conclamatis vasis omni cum exercitu abeunt. Mirum id Venetis videri, neque satis credere hostem abundi consilio discessisse: itaque timere insidias, quas etiam essent experti: sed ubi illos longius profectos ab exploratoribus cognoverunt, Rovereti oppidum recipiunt.

Interim Robertus certior factus omnes hostium copias domum discessisse: auxerat enim eam rem atque affinxerat multa rumor: sibi autem miles ex Ravennati & Piceno & Umbria per eos dies accersitus animum addiderat: statuit ulterius progredi, Tridentumque ipsum, si res processerit, obsidere, ut qui ultro ac sine causa bellum Venetis intulissent, scirent atque cognoscerent, bellum gerere in eorum finibus & posse Venetos, & audere. Eo consilio cum legatis communicato, Lucas Pisanus atate jam gravior, quem Senatus Petro Diedo summis-

*Antonii-  
Maria Se-  
verinatis  
in patrem  
pietas.*